

locati (qui ibidem subsistere & suam habitationem continuare vellent,) Bano & regno parere ac subesse debeant, sique hi, respectu Territorij sui, se maiorem titulum quam Episcopi Zagradiensis productas Donationales habere ac authentice demonstrare praetenderent, & consequenter Venerabili Capitulo dictoque Episcopo litem desuper movere intenderent, tunc Causam hanc suam via Juris ordinaria coram praeattacto nostro Bano, tanquam in hisce realibus actionibus competente Judice, prosequi nonverint, interea vero ab omni violento ausu, ac possessionis ullius arrogatione abstinere; non minus item Petrinenses dictae Nationis Valachicae instigatores atque Concitatores ad alia Interioris Austriae Confinia procul inde amoveri, omnesque alios illarum partium Officiales cujuscunque dignitatis aut officij existentes (siquidem isthaec officia in posterum a nemine alio, praeterquam praelibato nostro Regni Croatiae Bano, conferenda venient) penitus exauthorari ac debito cum respectu eidem subijci & assignari, ipsi vero quoad Jurisdictionalia huic sese submittere, uti & militaria mandata, a Consilio hoc Aulae Bellico ad eundem dirigenda, prompte exequi, quoad Cameralia vero a Camera nostra Aulica dependere, omnimode debeant ac teneantur; benigne praeterea assecurantes, Valachicam hanc nobis charam Nationem, omnesque toties fati districtus Incolas, quod Universis & Singulis Justitiam, quacunque ex Causa debite administrari, eosque tanquam fideles subditos, qui in ultimi cruenti Belli decursu praeter caeteris generositatis suae aedidit specimina, protectione nostra Caesarea ac Regia plenarie frui atque gaudere faciemus, uti & illos, qui in linea limitanea constituti, adeoque militaribus Confiniorum Servitijs actualiter applicati fuerint, a Decimis aliisque oneribus publicis immunes haberi, ac caeteris quoque Privilegijs militaribus donari curabimus. Omnibus demum & singulis praerecensitis hisce iterum pro conclusione serio Injungentes, quatenus benignum Caesareum hocce ac Regium Mandatum nostrum, ad evitandam severam alias animadversionem (erga secus facientes irremisibiliter secuturam) firmiter observari debeant, nec populum ultra quocunque sub praetextu commoveri, tumultuari, aut Jussis nostris Regijs reniti patiantur, ne fortioribus (quod plane abhorremus) remedijs almae pacis conservationi, subactorumque nostrorum tranquillitati consulere necessitemur. Dabantur in Civitate nostra Viennensi, die Decima quinta Mensis Junij, Anno Millesimo Septingentesimo Tertio. Regnorum nostrorum, Romani Quadragesimo quinto, Hungarici Quadragesimo Nono, Bohemici vero quadragesimo Septimo.

Leopoldus m. p.

... a Mansfelt m. p.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium
Joannes a Tiell m. p.

A tergo:

Resolutio Regia de Valachis, intra Unam, Colapim et Savum Regni Jurisdictioni subigendis. A. 1703.

In Archivio Regni Croatiae. Acta Gen. Congr. A. 1703.

Doc. IV.

1704. 24. JANUARIJ. VIENNAE.

Leopoldus Rex suae, de Generalatu Varasdinensi abolendo, A. 1703 die 6. Junii datae Resolutioni insistit; ejus tamen executionem ad pacatoria tempora differt, unaque ad intemeratam fidem contra rebelles hungaricos SS. & OO. hortatur.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles & Magnifici, Magnifici item & Egregij, Prudentes, ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Probe recordabuntur Fidelitates Vestrae, Qualiter tenore benignarum Literarum